DE NOMINE MYTHOLOGICO

Ποσειδῶν.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

EDIDIT

ALEXANDER JOSEPHUS ESCHWEILER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TIPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXIX.

Etymologiae studium quamquam nostra aetate per plurimos eosdem praestantissimos viros: ***Curtium, Pottium, Benfeium, Kuhnium,*** alios insigne cepit incrementum, ita ut vix ulla in linguis indogermanicis inveniatur vocabulorum radix, in qua indaganda viri docti non versati sint, tamen tantum abest, ut nomina diis deabusque imposita omnia accurate investigata sint, ut in eorum explicatione saepenumero acquiescere non possimus. A ***Platone*** usque ad ***Prellerum*** quot et quales expertum sit originationes nomen Neptuni graecum quis nesciat? Hae vero partim iam pridem refutatae sunt, partim nimis artificiosae vel deo maris parum aptae esse videntur.

De priore quidem parte nominis *Ποσειδῶν* non ita dissentiunt ii, qui eius etymologiae operam navarunt. Alii enim *ποσει* a *ΠΟ* radice derivare solent, quae significat bibere, alii cum sanscritae linguae patis i. e. dominus coniungere malunt. Multo magis autem inter se discrepant de parte posteriore *δάων.* Sunt enim qui hanc partem nihil nisi suffixum esse putent, alii sanscritae linguae modo his, modo illis radicibus utuntur, denique alii *δα* pro *γα* i. e. *γῆ* nomini nostro subesse arbitrantur. Quaerendum igitur nobis est primum, quomodo haec posterior pars sit explicanda, tum, ni fallor, facilius erit de origine atque notione priorum syllabarum disserere. Priusquam autem de his rebus loquamur, videamus, quae formae nominis in usu fuerint quaeque sint gravissimae.

Multae eius ab antiquis grammaticis afferuntur formae, quae in duo genera distribui possunt, quorum alterum con-

tinet formas exeuntes in ν, alterum in ς[1]). Illius generis primum nominanda est ea qua Boeotes utebantur vox *Ποτειδάων*, quam ab *Herodiano*[2]) allatam, ex inscriptione Thebana[3]) probatam, a *Dindorfio, Lehrsio*, nuper etiam a *Bergkio* servatam *Ahrens*[4]) in *Ποτιδάων* mutavit

1) ex more Boeoticae dialecti, quae ει diphthongum in ι mutare soleat.

2) propter ambiguitatem illius inscriptionis, in qua ut in omnibus eiusdem aetaits — tertii saeculi a. Chr. — mutatio diphthongi in ι neglecta sit.

3) quod in ipso *Herodiani* manuscripto ει saepe legatur in eiusmodi formis, quarum ι omnem superet dubitationem.

Utcunque sese res habet, dubitare non possumus, quin ex Boeotum nomine orta sint cetera, quae exeunt in ν: Doricae formae tres, *Ποτιδάν*, *Ποτειδάν*, *Ποσειδάν*[5])· Aeolum Asianorum mutato accentu duae, *Ποτίδαν* et *Ποσείδαν*[6])· Ionum *Ποσειδέων*[7]), Atticorum *Ποσειδῶν*[8])· denique epicorum poëtarum *Ποσειδάων*, seu si *Ahrensio* credere

---

1) Cfr. *Ahrens* in Philol. XXIII. „Ueber den Namen des Poseidon" p. 203.

2) *Herod.* περὶ μον. λέξ. 11, 8 (Lehrs.): παρὰ μέντοι Βοιωτοῖς Ποτειδάων τραπέντος τοῦ σ εἰς τ.

3) Cfr. *Rangabé* ant. hell. Nr. 1212.

4) l. l. p. 10.

5) *Ahrens* de dial. Dor. p. 243: „Doricae formae, inquit, a grammaticis commemorantur et nunc in Doricis fontibus leguntur Ποτιδάν, Ποτειδάν, Ποσειδάν, quae sunt ex antiquo Ποτιδάων natae (et Ποτιδᾶς)". Cfr. l. l. p. 198, ubi de contractione vocalium αο et αω in ᾱ disserit. *Lobeckii* pathol graec. serm. elem. I. p. 333. II. p. 78. sq.

6) *Ahr.* de dial. Aeol. As. p. 14. affert Choerob. Bekk. 1413: Δωριεῖς Ποτιδὰν λέγουσιν ὀξυτόνως οἱ δὲ Αἰωλεῖς Ποτίδαν καὶ Ποτείδαν βαρυτόνως.

7) *Herod.* περὶ μον. λέξ. 11, 6: Ποσειδέων δὲ παροξυτόνως παρ' Ἴωσι λέγεται ὁ θεός.

8) Et Gud. 476, 57: ἰστέον ὅτι τὸ Ποσειδῶν παρ' ἡμῖν καὶ τοῖς Ἀθηναίοις διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται, παρὰ τοῖς Ἴωσι δὲ διὰ τοῦ ι μακροῦ cet.

malumus *Ποσιδάων*[1]). Alterius generis una tantum exstat forma *Ποτιδᾶς*, quam novimus ex *Herodiani* (*περὶ μον. λέξ.* 10, 27) verbis: *εἴρηται δὲ καὶ Ποτιδᾶς ὡς Κερκιδᾶς.* Nam quod *Ahrens* (l. l. p. 21 seqq.) demonstrare vult, etiam *Πότειδος*[2]), et (p. 194) *Ποσειδῶς*[3]) exstitisse, quamquam magno ingenii acumine collegit, tamen disceptare non possumus.

Ex omnibus quas enumeravi formis maximi esse momenti *Ποτιδάων* et *Ποτιδᾶς*, boeoticam et doricam, *Ahrens* l. l. p. 203 nobis persuadet, atque id probatur mea quidem sententia eo, quod *Homero* Homeridisque testibus celeberrimae Neptuni sedes antiquissimis temporibus apud Boeotos et Dores erant[4]).

---

1) *Ahrens* l. l. p. 22.

2) Quam formam thessalicam *Ahrens* ex inscriptionibus apud *Ussingium* Nr. 21 elicit, aliter atque *Keilius* (inscr. thess. p. 4). Confert ille *Κυννᾶς* et *Κόννος*, *Πυρῆς* et *Πύῤῥος*, *Πυλᾶς* et *Πύλος*, *Ἀσκληπᾶς* et *Ἄσκλαπος*, alia; demonstratque eiusmodi formas in *ος* esse pro formis in *ας*.

3) *Ahrens* l. l. p. 194 coniicit hunc nominativum e genitivo *Ποσειδῶ* (cfr. *Herod. περὶ μον. λέξ.* 10, 18) aeque ac *Τυφῶ* pro *Τυφῶνος*, *Τυφῶνα*, cfr. *Choerob.* p. 261, 7. Ut autem *Τυφῶς* pro *Τυφῶν* e *Τυφάων*, sic *Ποσειδῶς* pro *Ποσειδῶν* e *Ποσειδάων* oriri. Cfr. l. l. p. 203.

4) Legimus enim in hymni *εἰς Ποσειδῶνα* versu tertio:

— *ὅσθ' Ἑλικῶνα καὶ εὐρείας ἔχει Αἰγάς.*

In epigr. ς

εὐρυχόρου μεδέων ἠδὲ ζαθέου Ἑλικῶνος.

Il. *β* 506:

Ὄγχηστον θ' ἱερὸν, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος,

de qua sede conferendus est *Pausanias* (IX. 26, 3), qui dicit: *φασὶ δὲ ἐνταῦθα (Ὄγχηστις πόλις Βοιωτίας) οἰκῆσαι Ποσειδῶνος παῖδα Ὄγχηστον, ἐπ' ἐμοῦ δὲ ναός τε καὶ ἄγαλμα Ποσειδῶνος ἐλείπετο Ὀγχηστίου κ. τ. λ.* Nec mirum est, quod in Boeotia prae aliis Graeciae regionibus colebatur Neptunus, propterea quod ibi potissimum lacus, stagna, flumina incolis vim numinis marini ante oculos ponebant. Dorum veneratio indicatur in Il. *θ* 206:

οἱ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ Αἰγὰς δῶρ' ἀνάγουσιν
πολλά τε καὶ χαρίεντα.

Cfr. Il. *ν* 10 seqq. Od. *ε* 381.

Horum autem nominum utrum prius exstiterit quaestionem disceptat *Welckerus*[1]) ita, ut ad gravitatem potentissimi illius fluctuum domini exprimendam, nisi forte ob metricam rationem in voce *Ποτίδας* — acuit enim ita mediam syllabam, quam brevem esse contendit — non solum *ι* in *ει*, sed etiam *ας* in *αων* ab aoedis esse mutatum dicat atque receptum. *Curtius* quidem tam temere ac fortuito tales mutationes factas esse negat; nihilominus autem apparet nec pugnat contra etymologiae regulas in *Ποτιδάων* seu potius *ΠοτιδάϜων* ultimam syllabam esse suffixam ut in *Ἀρετάων*, *Ἑλικάων*, *Λυκάων*, *Μαχάων*[2]), *Πυλάων*, quamquam haec omnia ut cum indicis grammaticis loquar, „taddhita" sunt suffixa; nec minus in nominibus propriis cum *φα* radice compositis e. g. *Ξενοφάων*, e qua voce *Ξενοφῶν* ortum esse E. M. 684, 54 docet, quare item iudicandum est de *Ἀγλαοφῶν*, *Ἀντιφῶν*[3]), *Ἀριστοφῶν*, *Δημοφόων*[4]), aliis. Quae cum ita sint, in posteriore nominis nostri parte *δα* inesse probabile est nec facere possumus cum iis, qui *ιδας* nihil nisi suffixum habent, praesertim quum deo huiusmodi forma

---

Aegae et Helice urbes habentur maritimae in Achaia, cuius incolas in universum dorice locutos esse *Strabo* (l. VIII. p. 513) videtur confirmare. Ceterum in tota Peloponneso Neptunum valde cultum fuisse notum est, praecipue in Isthmo, Corinthi, Calauriae, in qua insula olim Amphictyones Posidonii sedem habuisse *Strabo* (l. VIII. p. 373) dicit, quibus praeter alias urbes finitimas Orchomenos una ex Boeotiae urbibus adiuncta erat (cfr. *Preller* Griech. Mythol. I. p. 357). A Peloponneso Atticorum Ionumque veneratio huius dei deduci solebat: Athenis enim pristinus *Ποσειδῶν ἐρεχθεύς* (humor fertilis) cum atroci illo numine coniungebatur, quod ab Helicone translatum erat (cfr. *Preller* l. l. p. 359), et in Mycale promontorio duodecim Ioniae urbes *Ποσειδῶνα Ἑλικώνιον* colebant.

1) Götterl. p. 623.

2) Cfr. *Panofka*, „Asklepias und die Asklepiatiden" II. p. 59.

3) Hoc nomen similitudinem habet cum nostro, quod invenitur etiam *Ἀντίφας*.

4) *Δημοφόων* e *Δημοφάων* factum esse *Leo Meyer* et *Dietrich* in *Kuhnii* Zeitschrift für vergl. Sprachf. X. confirmant.

parum apta esse videatur[1]). Priusquam autem ad linguam sanscritam recurramus, deliberandum est, an *δα* syllaba e graeca lingua explicari possit; nam, si ita sese res habeat, alias explicationes moliri minime opus erit.

Re vera igitur probatur sententia eorum, qui *δα* pro *γα* i. e. *γῆ* esse dicunt, haud paucis exemplis cum antiquorum scriptorum, tum illorum qui nostra aetate magnam latamque stirpem linguarum indogermanicarum perscrutati sunt. *Boppius* enim, ut ab his incipiam, in grammat. compar. I. § 13: „Zu g'armás Wärme, inquit, stimmt das griechische *θέρμη*, mit der Vertauschung des gutturalen Organs mit dem lingualen, wie bei der Tenuis in *τίς* wer? gegenüber dem vedischen kis, lat. quis; in *πέντε*[2]) und bei der Media in *Δημήτηρ* für *Γημήτηρ*“. Aliud exemplum luculentum nobis praebet *Schleicherus* in compendio grammat. compar. ling. indogerm. I. p. 177, qui quamquam rarissime transitus g in *δ* literam factus sit, tamen *δελφύς* (uterus) cum Indorum garbh-as coniungendum esse putat, praesertim cum *ἀδελφειός* veteri Indorum voci sa-garbhjas (couterinus) respondeat. Deinde *Curtius* in lineamentis etymol. ling. graec. I, p. 324, quo loco de voce *γλυκύς* disserit, consentit quidem cum *Ahrensio* affirmante (de dial. Aeol. Asian. p. 73) vestigium literae dentalis in Aeolum *δεῦκος*[3]) reperiri; nihilominus autem g literam prius usitatam fuisse existimat. Idem in nonnullis aliis vocabulis talem agnoscit transitum, *Ahrens* haec quoque habet suspecta. Offensionis autem nihil habere puto haec:

1. *δνόφος* pro *γνόφος* *Curtio* assentiente (II. 112 et 275), qui *ν* literae vi id factum esse contendit; quamobrem item iudicandum est de *δνοφερός* pro *γνοφερός*.

---

1) Cfr. *Ahrens* in Philol. l. l. p. 204.

2) Cfr. Vergleich. Grammat. II. § 313. scr. pán'ćan, s. panćan, lit. penki cet.

3) In lineam. II. p. 77. non iam idem opinatur, quod *Aristarchei* hanc formam (non aeolicam) ignorent.

2. Pro ἁγνόν ἀδνόν ab *Hesychio* Cretensibus tributum, de quo quamquam *Ahrens* de dial. dor. p. 109: „Simile est, inquit, ἀδνόν, ἁγνόν· Κρῆτες, nisi et hoc et Creticum nomen Ἀριάδνη potius ab ἁδεῖν derivanda sunt,“ tamen non est cur glossae Hesychianae diffidamus. Etenim si verum est, quod *Curtius* ad vocem δνόφος de ν litera dicit, probabilius est, quippe simplicius nostra ratione ἀδνόν ortum esse quam ab ἁδεῖν. Quod autem attinet ad nomen Ἀριάδνη, e cognomine alio Cretico Ἀριδήλα[1]) coniicere licet, opinor, non tam significationem placendi in illo inesse, quam eius deae, quae omnibus nota, ab omnibus culta sit; tum, quia mythologorum explicatione Ariadne significat fertilem humum, quae aetatis vicissitudine inter gaudium et dolorem, inter vitam virescentem et somnum torpentem mutatur[2]), eam sacrosanctam vocare malemus quam gratissimam.

3. διφοῦρα, quae est forma Laconica pro γέφυρα (Hes. 1 p. 1010). Non tam certo quidem in hac voce mutationem γ in δ literam defendi posse ait *Curtius* in lineam. II. 77, quoniam et βλέφυρα inveniatur, sed *Benfeius* (W. L. II. 119) in his tribus vocabulis seu γραφ (effodere) seu γλαφ (cavare) radices contineri mihi persuadet[3]).

Iam ut ad vocem, de qua sermo est, transeamus: *Eustathius* 436, 41 interpretatur vocabulum δάπεδον ita: γίνεται δὲ παρὰ τὸ δᾶ, ὃ δηλοῖ Δωρικῶς τὴν γῆν. Mirum igitur videtur, quod *Ahrens* de dial. dorica § 10, 2 ait in omnibus Doricae dialecti fontibus, ubicunque terrae significatio paullo certior sit, γᾶ legi illamque grammaticorum opinionem putat manasse ex interiectionibus φεῦ δᾶ, δᾶ φεῦ, ἄλευ δᾶ, οὐ δᾶν. Et profecto non solum ab omnibus anti-

---

1) *Gerhardus* (Mythol. I. § 461. 2 b.) eam etiam nominatam fuisse Ἀριάγνην ait, nescio quo auctore usus.

2) Cfr. *Preller*, Griech. Mythol. I. p. 423.

3) Sunt qui dicant, etiam Πήδασος e Πήγασος esse ortum, id quod usque adhuc parum liquet. Cfr. *Preller*, Griech. Mythol. II. 55. et Sonne in *Kuhnii* diar. X. p. 176 sqq.

quorum scriptorum interpretibus, sed etiam a nonnullis iisdemque maxime egregiis nostrae aetatis mythologis hae voces illa ratione explicantur. Scholiastae enim ad *Theocriti* VII. 39 *οὐ δᾶν* interpretantur *μὰ τὴν γῆν*, scholl. *Aesch.* Prom. v. 570 *ἄλευ ὦ δᾶ· οἱ Δωριεῖς τὴν γῆν δᾶν*, E. M. 60, 8 *ἀλευάδα εἴρηται ὡς τὸ φεῦδα· οἱ Δωριεῖς γὰρ τὴν γῆν δᾶν λέγουσι*, scholl. *Aesch.* Eum. 835 *δᾶ φεῦ· δᾶ γῆ Δωρικῶς, ὅθεν καὶ Δαμάτηρ*, denique scholl. *Eurip.* Phoen. v. 1296 ad *φεῦ δᾶ* addit *τὸ δᾶ ἀντὶ τοῦ γῆ Δωρικῶς*. Deinde paullo infra scholiasta quidam varias affert significationes his verbis: *οἱ μὲν ἓν μέρος λόγου ἀνέγνωσαν τὸ φεῦ δᾶ . . . ἔνιοι δὲ ἀντὶ τοῦ φεῦ δή, τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ φεῦ γῆ, κατὰ πάθος μεταβληθέντος τοῦ γ εἰς τὸ δ, ἐν τῷ Δημήτηρ, πηγὴ πηδὴ παρὰ τὸ τὸ ὕδωρ πηδᾶν ἄνω*, quae derivatio suspecta atque adeo absurda est, quia, si res ita se haberet, contra *πηγή* a *πηδή* ortum esset. Ex mythologis recentioris aetatis laudandi sunt *Prellerus, Welckerus*[1]), qui *δᾶ* pro *γᾶ* fortiter defendunt.

Huc accedit, quod vocabulum *δῆμος* a *δῆ* pro *γῆ* originem repetere videtur cum aliis viris doctissimis tum *Boppio* in gloss. Sanscr. Simillima ratione *Benfeius* (W. L. II. 114) hanc vocem derivari vult a sanscr. gava (unde *γαῖα*, *γῆ*), cuius g in *δ*, vau in *μ* literam mutatum sit, eique assentitur *Christ* griech. Lautl. p. 127. Nuper tam multis tamque variis quas *δῆμος* vocabulum expertum est explicationibus praetulit nostram *Bernhardtus*[2]) dicens: „Sehr nahe liegt nun die Herleitung von *δῆ* = *γῆ*, zumal da in *Δημήτηρ* dasselbe Wort dieselbe Lautveränderung im Griechischen erfahren hat".

Quod ad vocem *δάπεδον* attinet, dissensio est inter viros doctos, utrum prima syllaba *α* correpto a *γᾶ* derivari

---

1) Cfr. Götterlehre I. p. 385.

2) Programm des Herzogl. Nassauischen Gelehrtengymnasiums zu Wiesbaden 1862 p. 15.

possit, an alius sit originis. Illud *Eustath.* 436, 41[1]) pro certo habet, recentiores autem, quum *α* breve sit[2]), dissentiunt iisque locis, quibus prima syllaba producta est, *Hermannus* et *Boeckhius* *γάπεδον* restituendum esse demonstrarunt. Permagni autem momenti, quo sine ulla dubitatione *δᾶ* pro *γᾶ* probatur, est cognomen illud dei nostri, quo usus est *Pindarus* (Pyth. IV. 33, 173) *Ἐννοσίδας*, quam vocem quum forma tum significatione arctissime coniungendam esse cum *Ποτιδᾶς* infra videbimus. *Ahrens*[3]) enim tametsi negat eam ita explicari posse, quum aut derivata sit ab *ἔνοσις*[4]) aut corrupta ex *Ἐννοσίγας*, id quod etiam magis intellegatur in vocibus *δάπεδον* et *γάπεδον*, tamen iam ex significatione — est enim is, qui terram concutit — apparet *δα* esse loco vocis *γῆ* unamque interpretationem *Ἐννοσίγαιος* esse veram[5]).

Itaque quum posteriorem nominis partem probabile sit significare terram, prioris partis notio quodammodo angustioribus finibus coërcetur. Nam et eos, qui vocem *γῆ* cum *πόσις* i. e. potio coniungant, ita ut nomen Neptuni graecum indicet „potionem terrae"[6]) et eos, qui vocabuli *πόσις* aliam praeferant interpretationem „quasi maritum terrae"[7]), errare manifestum est. Nonne nos effugit hac explicandi ratione gravitas atque, ut ita dicam, species ex antiquissimis temporibus Neptuno tributa? Nonne putamus e recentioris ae-

---

1) Loco supra laudato.

2) Od. *λ* 420. 577. *χ* 309. 455. *ω* 185.

3) In Philol. XXIII. p. 207.

4) In *Ποτιδᾶς* contra eundem aliter iudicare supra diximus.

5) Ceterum *Ahrens* ipse *Δᾶ* veterem, non affinem nomini *Γῆ* deae formam esse opinatur. Dicit l. l.: „Uebrigens ist meine Meinung natürlich nur, daß *δᾶ* nicht eine dorische dialektische Form für *γῆ* sei, während allerdings *Δᾶ* als eine alte aber nicht stammverwandte Benennung der Göttin *Γῆ* von mir anerkannt wird. Danach ist *Ἐννοσίδας* = *Ἐννοσίγαιος* nicht undenkbar".

6) Cfr. *Dammi* lex. Hom. s. v.

7) *Furlanetto* in thesauro lat. s. v. Posidonius.

tatis poëtarum carminibus ac scriptis emanasse illas explicationes, non e plastica quadam veterum ratione deorum fingendorum? Quod autem ***Prellerus, Odofr. Muellerus, Welckerus,*** alii nostrum nomen a radice *ΠΟ*, quae insit in vocibus *πότος*, *ποταμός*, derivant: obstat maxime vocalis *ι*, quam ad ipsam priorem partem pertinere, nec ab ea secerni posse constat. Praeterea etiam nimis incerta displicet dei notio quam illi statuunt affirmantes eum esse in universum „fluidum", nec ipsos plane confidere sua sententia cognoscere mihi videor e ***Prelleri*** mythol. graeca (I. p. 352): „Obwohl dieser Charakter des Poseidon allerdings weit mehr in den landschaftlichen Lokalsagen, als in der allgemein gültigen, vorzugsweise durch den epischen Gesang begründeten Mythologie zu Tage tritt. Hier ist er vielmehr ganz vorzugsweise der Meeresherrscher" etc.; nec minus e ***Gerhardi*** mythol. graeca (I. p. 205): „Sein hauptsächlich aus meerbespülten Orten berichteter Dienst konnte nur bei seefahrenden Völkerstämmen sich bilden".

Quae quum ita sint, partem vocis nostrae priorem mihi persuasum est cohaerere cum *πόσις* vocabulo, quod significat dominum et originem repetit a sanscritae linguae radice pâ. Haec ab origine notionem habet protegendi regendique[1]) et complectitur significationes alendi, possidendi, auxiliandi, dominandi[2]); nec pauca eius exstant vestigia et in graeca et in latina lingua. e. g. *πᾶμα*, *πᾶσις* (Hes. *πᾶσις· κτῆσις*), *παμπησία*, *βουπάμων*, *πατήρ*, itemque pasco, pabulum, pastor, panis, alia[3]). Huc pertinere opinor eas quae apud Mionn. descr. I. p. 165 et p. 629 inveniuntur formas *ΠΑΙΣΤΑΝΟ*[4]) atque *ΠΑΙΣΤΑΝ*, in quibus primam syllabam per metathesin e

---

1) Cfr. ***Schleicher*** „Compendium der vergleichenden Grammatik der indogerman. Sprachen" I. p. 138.

2) Cfr. ***Pott*** Etym. Forsch. II. 2 p. 198.

3) Cfr. ***Benf.*** W. L. II. 72 sqq. et ***Curt.*** Grundzüge I. 235. sq.

4) Cfr. ***Corssen*** „Ueber Aussprache" etc. I. p. 185 affert ***Pestano***, num. Paestan. ***Ritschl***, fict. Lat. p. 22.

ΠΑΣΙ ortam esse analogia eximie probatur. *Curtius* enim in lineam. etymol. graec. II. 246 docet non solum post *ν* et *ρ* in antecedentem syllabam *ι* transire, verum etiam post alias consonas e. g. in voce *ἐξαίφνης*, *αἰφνίδιος* pro *ἐξαπίνης*[1]), *πλαίσσιον* pro *πλάθιον*, *χραισμέω* pro *χρασιμέω*. Quod autem *δ* illic mutatum est in *τ*, non tam egregia quidem in promptu sunt exempla quibus utamur, attamen constat et *γδοῦπος* seu *δοῦπος* cognatum esse voci *κτύπος*[2]) et *δαΐδες*, *δεῖμος* vocabulis latinis taedae, timor. Ceterum apud *Strabonem* V. p. 251 urbi, quae antea *Ποσειδωνία* nominabatur, nomen est *Παῖστος*, apud Romanos Paestum, aeque ac *Ποσειδωνιάτης κόλπος*, postea sinus Paestanus vocari solebat, quare verisimile mihi esse videtur lingua latina illam mutationem esse factam et a Graecis posterioris aetatis receptam.

Sanscrit. pa-ti-s igitur respondet optime vocabulo *πό-τι-ς*· ea autem pristina forma est pro ea qua postea utebantur *πόσις*. *Ahrens* de dial. dor. p. 60[3]) . . . „Praecipere licet, inquit, antiquum *τ* saepe ab Ionibus, Atticis, Lesbiis in *σ* mutatum, apud Dorienses plerumque immutatum teneri“. Pergit: „Praecipue id factum videmus in mediis vocibus ante sequens *ι*“ et exempla affert tertiae verborum personae: *φατί*, *δίδωτι*, *τύπτοντι*· adiectivorum *πλούτιος*, *ἐνιαύτιος*· substantivorum, quae ab origine adiectiva erant: *Ἀρταμίτιος*· numeralium *διακάτιοι*, *Fίκατι*, *βείκατι* pro *εἴκοσι*· substantivorum in *σια* abstractorum: *ἀδυνατία*, *πλεονεκτία*· denique l. l. p. 63: „Olim, inquit, omnia haec substantiva (quae post exibant in *σις*) *τ* habuisse et Sanscrita lingua docet et aliae quadam reliquiae in reliquis dialectis ut *φάτις*, *μῆτις*, *πίστις*, *ἄμπωτις* pro *ἀνάπωσις*“. In horum numerum, ni fallor, referenda est latinae linguae syllaba -pte in suapte et -pse in pronomine ipse[4]); quamquam aliter

---

1) Cfr. *Legerlotz* in *Kuhnii* Zeitschr. VIII. p. 397.
2) Cfr. *Curt.* Grundz. II. p. 267.
3) Cfr. *Bopp* Vergleich. Grammat. § 456.
4) Cfr. *Curt.* Grundz. I. p. 248.

iudicat *Corssen*[1]), qui huius pronominis antiquam formam fuisse affirmat i-pe-su-s.

Iam ut ad antiqui nominis *Ποτιδᾶς* accedamus vocalem secundam, *Ahrensium* demonstrasse in omnibus attica excepta dialectis *ι* literam in usu fuisse initio dixi. Idem igitur contendit *ι* longum esse praeter eas formas, quae ad *Ποσιδήϊος* pertineant. Assentiuntur *Choerob.* in Bekk. An. p. 1413, *Meinekius* in fragm. com. II. p. 483, non tam certo Et. Gud. p. 476, 57[2]), quo loco de Ionum prosodia vocalis *ι* distincte sermo est, minus de Aeolum et Dorum. *Boeckhius* quum breve esse *ι* opinetur, in *Pindari* carminibus *Ποτειδάν* scribit. Haesitat *Lehrsius* ad *Herodiani* *περὶ μον. λέξ.* 10, 35 in lectione: *εἴρηται δὲ καὶ Ποτιδᾶς ὡς Κερκιδᾶς* quum dicat, si id, quod *Meinekius* — loco supra laudato — contendat, verum sit, paenultimam in *Ποτιδᾶ* productam esse, non nihil offensionis habere, quod *Herodianus* simpliciter scripserit *Ποτιδᾶς ὡς Κερκιδᾶς*. *Ahrens* quidem lectionem defendit dicens, ex more grammaticorum illic nihil nisi accentum comparari, attamen satis remanet dubitationis. Ceterum non desunt exempla ex quibus apparet *ι* nonnumquam produci, *διιπέτης* (Od. *δ* 477. Il. *ρ* 263), *διειτρέφης*, cuius vocis vocalis secunda non nisi e longo *ι* potuit effici. Invenitur enim in corp. inscr. p. II. Nr. 169 v. 4. *ΔΙΕΙΤΡΕΦΕΣ*, et Nr. 151 v. 3. *ΕΠΙ ΔΙΕΙΤΡΕΦΟΣ Α*[*ρχοντος*] pro *Διειτρέφους*. Quid quod haud raro *ι* producitur in diphthongum *ει*. *Ahrens* de dial. Aeol. Asian. p. 97: „Longum *ι* et *ει* in nonnullis vocibus iam apud antiquiores Graecos permutantur, quo pertinet *εἴκοσι* . . pro antiquiore *Fίκατι* et duplex forma *Ποσείδαν* et *Ποσίδαν*. — In recentioribus titulis saepe, ut aetas fert, *ει* pro *ι* scribitur, *τείμα*, *κατείρωσις*, *πολείταις*" etc. Egregiam huius

---

1) Ueber Aussprache etc. II. p. 83 sq.

2) *Ποσειδῶν παρ' ἡμῖν καὶ Ἀθηναίοις διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται, παρὰ τοῖς Ἴωσι δὲ διὰ τοῦ ι μακροῦ· καὶ παρὰ τοῖς Αἰωλεῦσι καὶ Δωριεῦσι ἔστι διὰ τοῦ ι γραφόμενον.*

permutationis seriem nobis praebent tabulae Heracleoticae (in C. I. G. n. 5774, 5775), quas *Savelsberg* in praestantissima de digammi immutationibus dissertatione[1]) produxit: Ϝίκατι, Ϝικατίπεδον, Ϝικατίδειον, Ϝικατιδείω, Ϝείκατι, Ϝεικατιδείω, Ϝικατίπεδον, Ϝεικατίπεδον. Comparare licet formas latinas „militare", quod invenitur in vetere sepulcro Furiorum, et „meilia" e Gracchorum aetate; „hic" atque „hec" in Scipionum sarcophago et „heic" in inscriptionibus posterioris aetatis, quamquam et haec et alia linguae latinae exempla propter incertum quendam diphthongi ει sonum non optime congruunt[2]).

Postquam igitur demonstravimus, nomen *Ποσειδῶν* compositum esse e *πόσις* „dominus" et *δα* pro *γῆ*, iam quaerendum est, quid significent hae voces coniunctae. Non licet enim eas tradere „terrae dominus", propterea quod, si haec significatio staret, necesse erat coniungi non *Ποτιδας*, sed *Δαποτις*, sicuti *νεφεληγερέτης*, *πολιορκήτης*, alia. Notum autem est haud paucas exstare voces copulatas, quarum altera pars pendeat a priore, atque ita quidem, ut illa quarti casus munere fungatur, quasi antecedat verbi participium, e. g. *Ἐννοσίδας* significat eum, qui terram concutit, *φυσίζοος* is est, qui vitam dat, *Πεισίστρατος* qui exercitui persuadet, *Περσέπολις* quae urbes, *Περσεφόνη* pro *Περσεφάνη*[3]) quae lucem delet, *βωτιάνειρα* est ea, quae viros nutrit. Eadem ratione contendo *Ποτιδάων* seu *Ποτιδᾶς* significare eum, qui terram teneat, protegat, possideat, ita ut veterem illam sanscritae radicis pâ notionem in hoc nomine cognoscamus.

Hanc explicationem probabilem esse haud minime, opinor, ex epithetis Neptuno a poëtis, praecipue ab *Homero* tributis elucebit. Cognominatur enim

---

1) Programme des Aachener Gymnasiums a. 1866 et 1867.

2) Cfr. *Corssen* l. l. I. p. 210 sqq.

3) Ita enim Proserpinae nomen graecum explicandum esse puto ο cum α mutato ut in Ἀντίφονος pro Ἀντίφανος, quod legitur in nummo quodam Clazomenio apud Mionn., et pro Ἀπιδανεῖς Ἀπιδόνες, quam vocem praebet *Strabo* VIII. 6, 731.

1. *Γαιήοχος* in Il. *ι* 183; *ν* 43, 83, 125, 677; *ξ* 355; *ο* 201, 222; *υ* 34; — in Odyss. *α* 68; *γ* 55; *ϑ* 322, 350; *ι* 528; *λ* 241; — in hymnorum 21, 6; — apud ***Pindarum*** in Olymp. 1, 25; 13, 80; — Isthm. 6, 38; — apud ***Hesiodum*** in theog. v. 15.

2. *Ἐννοσίγαιος* in Il. *η* 455; *ϑ* 201, 440; *ι* 183; *μ* 27; *ν* 43, 61, 677; *ξ* 135, 355, 510; *ο* 173, 184, 218, 222; *υ* 20, 310; *φ* 462; — in Od. *ε* 423; *ι* 518; *λ* 102, 241; *ν* 140; — in hymn. 21, 4; — in epigr. *Ποσειδῶνι* 1; — apud Hes. in theog. v. 15, 441, 456, 818, 930; — scut. Herc. 104; — in fragmentorum 79 (***Marksch***).

3. *Ἐνοσίχϑων* Il. *η* 445; *ϑ* 208; *ν* 10, 19, 34, 65, 89, 231, 554; *ξ* 150, 384; *ο* 41, 205; *υ* 13, 132, 291, 318, 330, 405; *φ* 435; — Od. *α* 74; *ε* 282, 339, 366, 375; *η* 35, 56, 271; *ϑ* 354; *ι* 283, 525; *λ* 252; *ν* 125, 146, 159, 162; — Hes. op. et d. 657. Eadem significatione cognomen ei dat *ἐλασίχϑων* ***Pindarus*** apud Eustath. in opusc. p. 56, 19.

4. *Ἐλελίχϑων* apud. Pind. Pyth. 6, 50.

5. *Σεισίχϑων* apud Pind. Isthm. 11, 52; Dion. Halic. ant. 2, 31; Luc. Philop. 6; Ammian. 17, 7, 12; Gell. not. Att. 2, 28.

6. *Κινητὴρ γαίης* in hymn. 21, 2; apud Pind. Isthm. 3, 37 (***Boeckh***).

7. *Τινάκτωρ* apud Soph. in Trach. 502.

8. *Ἀσφάλιος* i. e. qui terram tenet, apud Strab. XII. p. 579; Plut. Thes. 36; Paus. III. 11, 8, VII. 21, 3; Xen. hell. IV. 7, 4, quibus locis terrae motu orto carmine, quod Paeon nominatur, deus marinus colitur.

9. *Πετραῖος* i. e. qui rupes findit, praecipue per Tempe Thessalica in Pind. Pyth. 4, 138 (***Boeckh***), apud Apoll. Rhod. 3, 1244; Philostr. 2, 14.

10. *Ἐρεχϑεύς* concutiens, scilicet terram, apud Lyc. 158, 431; Plut. mor. p. 843; Hesych. inscr.

11. *Φυτάλμιος* apud Paus. II. 32, 7; Plut. mor. p. 158 E., 675 F., 730 D., 1119 D.; Themist. p. 349 A. *Cornutus* c. 22 explicat hoc cognomen verbis: *ἐπειδὴ τοῦ φύεσθαι τὰ ἐκ τῆς γῆς γενόμενα ἢ ἐν αὐτῇ δηλονότι ἰκμὰς παναίτιός ἐστιν.*

Apparet iam ex his Neptuni cognominibus in eius numine atque ideo nomine maximi esse momenti illam vim, qua indutus *Ποσειδῶν* terrae summum habet imperium, tenens eam, concutiens, findens tridenti, denique alimenta ei praebens. Egregie igitur *Prellerus* in mythol. graec. I. p. 355: „Man dachte sich die Erde auf dem Meere ruhend und von demselben getragen, weil sie in allen ihren Buchten und Busen vom Meere umgeben, in allen Tiefen und innern Schluchten von ihm durchdrungen ist, zumal bei solcher Beschaffenheit, wie sie dem griechischen Lande und den benachbarten Küstenländern und Inseln des Aegäischen Meeres eigenthümlich ist. Daher *Ποσειδῶν γαιήοχος*, der wie Atlas die Erde trägt und stützt, ein *ἀςφάλιος* und baumeisterlicher Gott, der gewaltige Felsenmassen leicht bewegt und sie zu festen Bollwerken aneinanderreiht. Aber auch *Ποσειδῶν ἐννοσίγαιος* und *σεισίχθων*, der Erderschütterer, der, wenn er seinen Dreizack in die Rippen der Erde bohrt, das ganze Gebäude derselben bis in die tiefsten Wurzeln erbeben macht."